AMPLISSIMIS AC CLARISSIMIS DOMINIS

D. MONTIS-DESIDERII

MAGISTRATVS, SENATVSQVE

PRÆFECTIS, ET CONSVLIBVS. VNIVERSISQ;

CIVIBVS COLENDISSIMIS.

ὑγιαίν P. CLAVDIVS BVCQVET MONDIDERINVS.

NORVNT SVA SYDERA SOLEM (ORDINES AMPLISSIMI) *& Mare recipit, quas priùs vndas effuderat; eoq; tandem, vnde nata fuerant, cuncta redeunt, nec ſui immemorem, niſi ſpurium, ſinit eſſe, ſecreta cunctos dulcedine prolectans natalis ſoli genius; vnde patriæ vt parenti noſtræ æternis ſe ſe vouendum officijs, omniumq; Ciuium ſaluti conſulendum eſſe cenſuit Antiquitas: cuius ego hodie ductus authoritate, Herculiſq; aut Curtij, Hippocratis, aut Galeni veſtigia ſecutus, poſt tot tantoſq; in medicinæ ſtadio curſus peractos, exantlatoſque in publica Apollinis palæſtra labores, pari animo, patriæ ciuiumque ſaluti ac ſanitati totus incumbam, vt ſociâ laboris virtute, pro meo in Medicina facienda munere ciuicam coronam mihi aliquando poſſim comparare. Socrates patriæ ſuæ nunquam oblitus, Dijs quotidie gratias agebat quod athenis natus eſſet; Ego vero Montis-Deſiderij deſiderio incitatus* DEO OPT. MAX. *Immortales habeo gratias, quod in Mondiderinæ Ciuitatis optimorum totius Galliæ ingeniorum palladio, alente homines genio loci & fortunâ ſuâ claros, natus & educatus fuerim; Iuuat ergo hunc iterum conſcendere montem tot tantorumq; virorum ortu cohoneſtatum,* IOANNIS *potiſſimum* FERNELII *Medicorum omnium facilè principis, cuius natales falſis ſibi vendicant titulis Ambiani, Ambianenſeſque cæteri; Iuuat hoc iterum conſiſtere monte, cuius in ſtemmate, Turris vt corporis robur, & animi fortitudinem; ſic Lilia, erga ſuos Reges fidem ſanctiſſimam, & in Deum pietatem præclarè omnino videtur adumbrare. Fœliciter ergo, fauſtè fortunatéq;* (CLARISSIMI VRBIS PRÆFECTI) *vt farre & fitilla, vobis & Patriæ tandem aliquando Appollinarem in inclyto Æſculapij Academiæ Cadomenſis horto collectam Lauream humillimè litem, quæ ſi veſtris beneuolentiæ ac humanitatis Charitibus* εὐχαριζομένως *arrideat; memetipſum in lernæis Febrium, morborumq; omnium peſtibus, horrendiſq; microcoſmi monſtris fortiter ac generosè debellandis (totis votis votiuum appendens hocce Medicinæ donarium) piè ac religiosè voueo & conſecro.*

QVÆSTIO MEDICA.

22.

An καύσῳ ψυχροποσία.

PRIMIGENIVS Calor functionum omnium quæ in organico corpore perficiuntur author, ſtellarum calori conſentaneas edit actiones, nec tamen è cœlo defluit; contrarias igni, ex eo tamen prodit nec igneus, ſed temperatus, nobiliórique formæ inſeruiens animantium omnium vitam fouet, & conſeruat, ſpeciemque indiuiduorum perpetuâ ſucceſſione ἄγηρον reddit; eo vigente laudabiles elucent animæ actiones; obſcuro & debili, anima in corpore, quaſi ſepulchro poſita deliteſcit & occæcatur; eodemque exſtincto, quaſi vinculis ſoluta, & è carcere prodiens in mediam lucem euolat: vita ergo tota in caloris cum humido permanſione; ſicuti mors in eiuſdem priuatione conſiſtit: ſimilique ratione ſanitas a caloris ſola commoderatione; vti morbus omnis à praua eiuſdem diatheſi reſultare videtur. Præcipua verò caloris inſiti affectio, febris eſt, κοινότατον νόσημα καὶ χαλεπὸν, nullus enim (vt aiunt) ſine febre moritur; Cor etiam corporis metropolim, caloriſque innati focum primò, & per ſe inuadit, ibique dominium, ac ſedem figit; tum cæteræ corporis regiones per venas & arterias influente ſpiritu & calore febrilis incendij vim maleficam & hoſtilem, horrendo ſtatim ſquallore contabeſcentes experiuntur.

FEBRIVM eſſentiales differentiæ ex triplici qua conſtat corpus ſubſtantia depromuntur, adeo vt alia diaria, ex ſpirituoſæ incendio: alia humoralis, ex humida putreſcente nominetur; alia denique hectica, partibus ſolidis ardore febrili communicato & inhærente. Hæ verò febrium omnes differentiæ, vel ſibi inuicem ſuccedunt, vel vnaquæque ſibi ab initio imperium parare potis eſt; nulla denique ex his peculiares ſortitur differentias, exceptâ putrida, quæ pro vario putredinis foco, venis nempe maioribus, & corporis habitu, in continuam, & intermittentem diuiditur; Huius autem repetitionis cauſa duplex conſtituitur, noua materiæ in foco tanquam in minera coaceruatio; acris deinde excrementi aliena qualitas, cum copia grauante: diſparis demum circuitus cauſa, non ex idiotropia humorum, ſed eorumdem partim quantitate, partim qualitate, id eſt aptitudine, vel reſiſtentia ad putredinem prodit.

CONTINVARVM vero acutiſſima febris eſt ardens, Græcis καῦσος dicta, ob inſignem quo cæteras anteit calorem, neque tamen peculiarem illarum conſtituit differentiam, eſt etenim ὁμογενὴς cum bilioſis, ſola ſede, & rigore à tertiana intermittente diſtinguitur; item à biliosa ſynocha ſolâ intenſione, & ſymptomatum magnitudine diſcrepat: iam vero exquiſitus cauſus à notho dignoſcitur, calore magis deurente, ſitique inexplebili, quæ duo pathognomonica cauſi ſigna, in ſpurio remitiora perſentiuntur; ille demum æſtiuus eſt, flauæ bilis ſoboles in venis maioribus putreſcentis; at rariùs ex acri, & bilioſo ichore è venulis æſtate ſiccatis attracto; illegitimus verò vt plurimum hybernus, ex ſalſa & putri pituita, vel ſola, vel bili permixta ortum ducens. Reliqua cauſi ſigna vel aſſidentia, vel ἐπιφαινόμενα deſcribuntur, vt cibi faſtidium, ventris eroſio, lingua ſicca, aſpera, & nigra, dejectio liquida, vel pallida, interdum ſicca & σπυραθώδης; cuncta denique ſæuientis notas incendij exhibent, atteſtanturque.

Oἱ πυρετοὶ ὁκόσοι μὴ διαλείπωσι μᾶλλον ἐπικίνδυνοι, maximè vero omnium καῦσος, meritóque inter morbos peracutos recenſetur, natura etenim calorem adeo deurentem, ac vehementia quæ hanc febrem comitantur ſymptomata, diu quin ſuccumbat perferre non poteſt. Licet verò τῶν ὀξέων νοσημάτων ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες, hic tamen cauſus promptiſſimè enecat, qui ſtatim ab initio hiſce ſtipatus ſymptomatis prodit, iactatione & inquietudine indefeſſa, delirio, cum leui ſudore circa frontem, & clauiculas ſuborto, vrinis paucis, nigris, & tenuibus, alui denique excrementis ὑδατοχόοις quæquidem omnia die ſexto, aut citiùs futuram mortem portendunt, nec tamen id minùs periculi abeſſe ſignificat, ſi lingua ſit arida, abſit verò ſitis, vel enim ægrum delirio teneri, vel facultatis ſenſificæ exſtinctionem præmonſtrat, vel accedente deſtillatione retundi; tutum denique morbum, breuemque indicat, vrina ſtatim coctæ materiæ ſpeciem ferens, ſæpiuſque futuram die ſeptimo è naribus hæmorrhagiam, effuſis prius ſponte lachrymis, denotat; nonnumquam verò oborto rigore per ſudores ſoluitur, aliàs per alui deiectiones, vomitum, aut vrinas, nunquam autem per abſceſſum iudicatur.

Eν τοῖσιν ὀξέσι χρονίζειν κακὸν; ſtatim ergo cum bilis turgeat, corporiſque vires ſæuientis incendij ardore proſternantur, maioris metu periculi, ne-ve eius vis malefica penitiùs, longiúſque ſerpat, ſolidaſque partes corporis fundamenta occupet; mox leni priùs iniecto Clyſmate, Phlebotomia ſæpius repetitâ, largoque exhibito frigidæ potu, hoſtilis huiuſce ardoris author foràs propulſatur, acrimonia retunditur miteſcunt ſymptomata, vireſque redacta ad priſtinam eucraſiam temperie recreantur. Valeant ergo hæc illorum figmenta, qui immites adeo, Arabum more, ægros patiuntur mediis in flammis exſtingui, frænumque bilis ſanguinem obijciunt, quo breui & iniquè ægrotantes maximo illorum ſtupore ſtrangulantur. Melior AEtij ſententia, ægriſque & ſuauior, ſalubriorque exiſtit, qui in cauſi vigore, ſignis coctionis apparentibus, nullâ que viſcerum diſſuadente affectione, crateram frigidâ circumfluentem, affatunque exhauriendam ægrotantibus exhibet; vi cuius febrilis ardor reſtinguitur, ſubuerſoque ventriculo, vel retentrice inteſtinorum reſoluta, bilis morbi parens amandatur; ſicque euictâ morbi cauſa, ſtatim vires alimentis εὐχύμοις, faciliſque coctionis inſtaurantur.

Ergo καύσῳ ψυχροποσία.

Harum Theſium veritatem, Deo duce, propugnabit CLAVDIVS BVCQVET *Mondiderinus, ſub auſpiciis Nobilis viri* IACOBI HEBERT *Doctoris, & Profeſſoris Medici, ab 8. ad meridiem, die 8. Octob. anno 1633.*

PRO LAVREA APOLLINARII CONSEQVENDA IN ARCHIATRORVN SCHOLIS

CELEBERRIMÆ ACADEMIÆ CADOMENSIS.